incommodè te facturum arbitrarer, & bonis ingenijs gratam operam daturum, ſi ſubterraneis iſtis eos addideris, quos in hominũ corporibus, eorundemq́; membris naſci experientia docuit, eosq́; nõ minus forma generibusq́; varios: qui quidem doctis pariter atque indoctis maiorem etiam admirationem mouebũt, quàm illi ipſi qui in terra geniti reperiuntur. In qua re vt meum quoque ſtudium tibi probarem, aliquos ex ijs quos corporibus humanis innaſci comperimus, depictos dare, & quibus in membris & perſonis ſinguli fuerint reperti, paucis ſubijcere volui.